

pium est externum & ejusmodi, ut nihil conferatis qui agit & patitur. Abesse igitur debet omnis consensus agentis, ut quum Cassandra filia Priami ab hostibus per vim crinibus trahitur è templo, Æneid. 2.

io Actio invita per ignorantiam est, quæ prodit ab ignorantia singularum actionis circumstantiarum, quibus patefactis, sequitur pœnitentia.

S C H O L. Hujus actionis causa est ipsa *ἄγνοια*, id est, ignorantia. Distinguunt Ethici inter has phrases: per ignorantiam agere, & ignorantem agere. Omnis qui per ignorantiam agit, agit etiam ignorans, sed non viciissim. Quum dico, per ignorantiam, ignorantia est causa principalis actionis, ut si quis canem percussurus percutiat patrem suum. Ignorans verò agit, quando præter ignorantiam alia accedit actionis causa, ut quum quis ebrius aliquem interficit, & nescit se hoc agere, ibi ebrietas causa est actionis, non ignorantia; siquidem ebrietas mentis vim ita labefactavit & quasi extinxit. Nec tamen omnis ignorantia facit actionem invitam, sed duntaxat ea, quæ dicitur ignorantia facti, & Græcis dicitur *τύπη ἀγνοίας*, quatenus scilicet eam sequitur pœnitudo cognitis circumstantiis; quod si pœnitentia non sequitur, actio judicatur quasi spontanea, veluti si quis canem percussurus feriat novercam, & dicat: ne sic quidem male; hîc quia deprehensio errore non sequitur dolor, non est invita percussio novercæ, quamvis sit involuntaria. Alind enim voluit quam evénit, nec tamen contra voluntatem evénit, quia tantummodo præter voluntatem. Deinde est etiam ignorantia quæ dicitur juris, & Græcis *Ἐγνόθολος*, quando quis ignorat id quod scire debebat; & hæc ignorantia quia affectata est & voluntaria (omnes enim debemus scire quid honestum, quid in honestum) non facit invitam actionem, ideoque non meretur veniam,

ii Actio